

Johann Cothmann

**Rector Academiae Rostochiensis Johannes Cothman, S.S. Theol. D. & Prof. ac  
Facultatis Senior Ad Exsequias Avas Viro ... Dn. Ioanni Andreae, Med. D. &  
Practico celeberrimo, Marito suo desideratissimo, Vidua maestissima parat Cives  
suos in adem D. Jacobo sacram ad horam ... invitat**

Rostochii: Kilius, 1650

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745848230>

Druck Freier  Zugang






Cothman, J.,  
in J. Andream.


R. 1650.

31.
















RECTOR  
Academiae Rostochiensis  
JOHANNES COTHMAN,

S.S. Theol. D. & Prof. ac Facul-  
tatis Senior

*Ad Exsequias*

Quas

*Viro Excellentissimo & Experientissimo*


DN. IOANNI ANDREÆ,

Med. D. & Practico celeberrimo,

Marito suo desideratissimo, Vidua  
maestissima

parat

*Cives suos in adem D. Jacobo sacram ad horam meri-  
diei primam sedulo invitat.*



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr. 1650,





**P**raestantium Virorum praedicationes (in praestantibus autem, vel iis, quos nostrum hoc Seculum Praestantissimos appellat, mediocres quoq; numerandos esse omnino censemus; mediocres enim praestant plerisq; aliis) Hæ praestantiū Virorum praedicationes, non solum ipsis praemii, sed & minoribus documenti loco sunt. Proba enim exempla miram doctrinae vim habent, & insigne quoddam εἰκαστικόν in se continent. Ira fit, ut qui in arte quadam profecerint, ad exempla saepe respiciant, ut Pictorum discipuli, ad arte formatas tabulas: quin exempla fidelius saepe & efficacius erudiunt quam doctrina ipsa. Prudentissimus Seneca, quis praeter ceteris eligendus foret praceptor, rogatus; respondit, Eligamus non eum, qui verba magna celeritate praecipitat, & communes locos volvit, inq; privato circulatur: sed eum qui vita docet, qui cum dixit quid faciendum sit, faciendo ipse probat. Qui docet quid vitandum sit, nec unquam in eo quod fugiendum dixit,prehenditur.

*Rara avis in nostris hac est, mi Candide, terris!*

Hic noster Seneca, qui paucis, more suo, dicit plurima. ita pergit, *Elige tibi eum adiutorem, quem magis admireris cum videris, quam cum audieris.* Et Basiliius ille inter Patres vere magnus, inquit, Non sapiunt, qui verbotenus philosophantur, sed illi, qui sermones vi-

sa ex



tā exprimunt. Cæteri *οὐκ ἀποκρίν.* Hæc & horum si-  
 milia, nobis in mentem veniunt, dum pie defuncto  
 nostro Dn. D. JOANNI ANDREÆ, Medico ex-  
 perientissimo, cordatissimo & summe pio, Amico no-  
 stro, dum viveret, fidelitate & integritate ut conjun-  
 ctissimo, ita nunc desideratissimo, ultima meditamus  
 encomia: quæ quidem C. Lecturo, hic à nobis pos-  
 sent & abundè & prolixè satis recitari, nisi ea, quæ pie  
 Defunctus noster, de suo vitæ curriculo à semet confi-  
 gnata reliquit, & probatissimorum Virorum Rosto-  
 chij nostri & aliorum locorum infallibili testimonio  
 comprobantur, utramq; facerent paginam. Quid-  
 quid autem sit, hoc amoribus nostris facile concedi  
 posse, speramus, ut quis fuerit, paucis dicamus. Vere  
 noster talis fuit, què videntes magis admirati sumus,  
 quam audientes, qui quidem Doctrina & Eruditione  
 multis: omnibus autem vita profuit. VITA, qua sin-  
 gulis quibus notus fuit, se probavit Pium, Cordatum,  
 Candidum & nullo fuce promptum. Fuit, ut verbo di-  
 camus, *ἀληθῶς ἰσραηλῆτις ἐν ᾧ δόξα ἐκ ἤν. ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΣ*  
*ΠΙΣΤΟΣ.* Medicum se gessit talem, qualem Medico-  
 rum Princeps, juramento semet obstringere voluit,  
 hoc nempe *εἰς οἰκίας ἀκόσους ἀνέστω, ἐσελεύσασμαι ἐπὶ ὠφελείῃ καμνον-*  
*των* h. e. in quamcunq; domum ingressus fuero, ad la-  
 borantium salutem ingrediar. Sed, ne diutius te te-  
 neam, accipe, pie Lector, ipsum vitæ curriculum,  
 prout nobis est exhibitum.  
 Lucis hujus usurâ frui cœpit anno c<sup>l</sup>o l<sup>o</sup>c XC ipsis



Idibus Octobris circiter undecimam nocturnam, &  
13. Kal. Novemb. albo vitæ per lavacrum regenerati-  
onis est insertus. Pater ei fuit Vir Reverendus ac Lite-  
ratus DANIEL ANDREÆ, pastor cænobii Ribni-  
zensis; Mater ANNA Lindenbergs/ matrona pia ac  
honestâ. Avus paternus fuit JOHANNES ANDREÆ,  
civis Aromatarius Osterwicensis in Ducatu Brunsvi-  
censi. Avia materna LUCIA Kassen/ matrona pien-  
tissima. Avus maternus Prudentissimus ac spectatis-  
simus CASPARUS Lindenberg/ Senator hujus urbis  
ac Provisor Jacobæi templi fidelissimus. Avia mater-  
na ANNA Wittenbergs/ matrona laudatissima. A piis  
hiscæ parentibus in pietate & timore Domini educa-  
tus fuit, ac in ludo patrio bonis literis ac moribus usq;  
ad annum ætatis duodecimum imbutus. Postea pij  
Parentes, hunc filium suum studiis penitus dicârunt,  
& ad ultiores faciendos in iis progressus Scholæ  
Wismariæ cum temporis florentissimæ commise-  
runt, ubi per quadriennium, & quod excurrit, substi-  
tit. Inde ex sententia Parentum Lubecensem quoq;  
adiit Scholam; ubi cum per annum commoratus es-  
set, ad Illustre Pædagogium sedinense missus est, ut  
ibi fundamenta Philosophiæ jaceret, cujus studio  
per integrum quadriennium diligentem operam  
navavit, & tam privatim quàm publicè in Philoso-  
phicis opponendo & respondendo, imò & decla-  
mando solertem se dedit: Unde præceptorum amo-  
rem sibi conciliavit non-exiguum. Cum autem eo  
absente



absente Mater dilecta suum obiisset diem, Parens  
mæstissimus filium ut proximiorē haberet, ob in-  
gravescens senectutis tædium, illinc revocavit, & ad  
hanc Rostochinam Academiam traxit; ubi telam  
studiorum, feliciter Sedinī orsam, pertexuit, Philoso-  
phiæ Professorum non-postremorum auditor assi-  
duus. Post illa prælectionibus in Hippocratem viri  
Magnifici & Experientissimi, DN. JACOBI FABRI-  
CII Medicinæ utriusq; Doctoris longè Celeberrimi,  
Præceptoris sui venerabilis, pellectus, studium Medi-  
cum inchoavit, primùm quidem non nihil refragan-  
te DN. parente, qui illum studio Theologico destinâ-  
rat, tandem tamen amicorum suffragiis indulgente.  
Cui (n. Medico) studio per integrum septennium  
Præceptoribus viris Excellentissimis & Experientissi-  
mis DN. JOANNE & MATTHÆO BACKMEI-  
STERIS fideliter incubuit, ac sub viri Excell. & Ex-  
per. DN. JOANNIS AHASVERI, D. & Prof. Phys.  
celeberrimi præsidio publicam *de Cephalalgia* dispu-  
tationem repræsentavit. Posthæc cum natali solo &  
soli adsuescere, in iisq; delitescere decorum haut du-  
xisset, ad totius Europæ emporium celeberrimum,  
Amstelredamum se contulit; unde Lugdunum Ba-  
tavorum bonarum artium sedem illustrem perrexit,  
ubi per æstivum semestre vixit, usus præceptoribus,  
Botanico celeberrimo DN. JOANNE VOSSIO, &  
Practico Eminentissimo DN. JOANNE HEUR-  
NIO Medicinæ in eadem Acad. Professoribus, Mox



perlustratis primariis civitatibus Provinciarum Fæderatarum, Roterodamum profectus, maritimo itinere instituto Rotomagum concessit. Hinc Parisiorum Lutetiam adiit, ubi spatio bimestri permansit. Cum verò ipsi compertū esset hortum Medicū Montispolianum omnium ore celebrari, perlustratis primariis Galliarū urbibus, illū oculis & cōmodis suis usurpavit. Dehinc Marsiliam & inde per Gallicā provinciā Allobroges adiit, quibus post se relictis, Genuam, mox Mediolanū & Papiensem Academiam salutavit. Deinde per Cremonam, Bergamū, Pisicheram, Veronam aliasq; Italiæ civitates venit tandem Patavium, ubi integrum annum egit, usus informatione Professorum celeberrimorum & Illustrium virorum, Dn. D. Roderici Fonsæ, Dn. D. Sancti Sanctori Justinopolitani, Dn. D. Julij Cæsaris Cremonini, & Dn. Adriani Spigelij Anatomici famigeratissimi, sub quorum auspiciis publicum Doctoratus gradum indeptus est, prout ex testimonio ab Academia Patavinā concesso & sigillis illorum munito luculenter satis constat. Ne hīc cum pedem figere consultum duxisset, Romam profectus est, & visā Bononiā, rursus commigravit Venetias, unde Patavium denuò reversus, ibidem aliquamdiu commoratus est. Tandem post rerum relinquens Alpes, Augustam Vindelicorum discessit, unde Noribergam, & adjacentem Academiam Altorfinam, dehinc Jenensem Lipsiensem, & Wittebergensem adiit, & illorum locorum.

Pro.



Professoribus primariis familiariter usus est. Postremò Patriæ redditus, ob dividendam hæreditatem paternam, aliquandiu ibidem commorari coactus est. Iterea dum hic subsisteret, Amicorum & Agnatorum svasu, de vitæ focia cogitare cepit, & successu felici cum Lectissima & pudicissima Virgine **TILSA Knappers** / Viri Literati & jurisperiti **HENRICI Knappers** / nostræ Urbis Civis spectatissimi Filia, Anno cl. lcc. XXII. 8. Julij, conjugium iniit, in quo cum dilecta thalami consorte vitam pio & prudente marito vixit dignam; mansit enim illis unum cor, & anima una. Conjugium autem pie Defuncto nostro, non prorsus sterile contigit, sed fœminei sexus prole, ad fontem sacrum **ANNA** compellatâ, condecoratum fuit. Anno cl. lcc. XXVII. Hæc, cum vix primum vidisset diem, quo nata eras, eodemq; denata & Revaliensi ternæ mandata fuit: Deo enim O. M. sic disponente, postquam Practicum felicem se probasset, & Disputando & prælegendo inclaruisset, Amplissimus Revaliensium Senatus, ipsum Civitati suæ Physicum vocavit, quam provinciam lubens ut accepit, ita eandem non sine gloria sustinuit: integrum enim novennium, cum hic bello infesta essent omnia, summa cum Senatus & omnium Civium gratia mandato munere functus est. Tandem, ut certas ob causas se in Patriam reducem pararet, cum stabat sententia, egerime è Revaliensib. dimissus, susceptū munus & onus multa cum laude deposuit & incolumis ad



mis ad NOS redux Anno clō Ibc XXXIV. privatim  
docens, & praxin magna fidelitate & felicitate  
comprobans, omnibus charum caput nobiscum vi-  
xit. Anno clō Icc L. 27. Januar. in morbum incidit  
vehementissimum, & diuturna Scorbutica inquina-  
tione naturalium viscerum, factum est ut appetitus  
tandem penitus prosterneretur, & quidquid vel cibi  
vel potus ingestū esset, corrumperetur & reijceretur,  
adeoq; Scorbutica atrophia corpus & vires paulatim  
consumerentur, ut lentus subsequeretur marcor &  
tandem mors, qua fide in Christum <sup>manes</sup> noster  
placide & beate obdormivit: De hac pluribus testa-  
bitur præco publicus, admodum Reverendus & Cla-  
rissimus Senior Dn. M. CHRISTIANUS MI-  
CHAEL, Pastor de æde D. Jacobi, per bene meritus,  
Amicus noster honoratissimus. Vixit noster pie De-  
functus in conjungio XXIX. annos, Diem suum  
obijt XXV. Aprilis hora V. pomerid. An. clō Ibc, L.  
Ætate SEXAGENARIUS.


Agite Academiae Cives, & illi qui multos morra-  
lium humanitate & officiis superavit, ultimum, quod  
à vobis de siderasse potuit, humanitatis officium,  
honorifico vestro comitatu præstare.

Vosmet ipsi bene valete.


P. P. *Ipsis Calendis Majas Anno clō 16 L.*

✠(o)✠






















absente Mater dilecta suum obiit  
maestissimus filium ut proximior  
gravescens senectutis tedium, illin  
hanc Rostochinam Academiam  
studiorum, feliciter Sedini orsam, p  
phia Professorum non-postremo  
duus. Postilla pralectionibus in  
Magnifici & Experientissimi, Dn. J  
CII Medicinae utriusq; Doctoris l  
Praeceptoris sui venerabilis, pelle  
cum inchoavit, primum quidem  
te Dn. parente, qui illum studio T  
rat, tandem tamen amicorum sus  
Cui (n. Medico) studio per inte  
Praeceptoribus viris Excellentissim  
mis Dn. JOANNE & MATTH  
STERIS fideliter incubuit, ac sus  
per. DN. JOANNIS AHASVERI  
celeberrimi praesidio publicam de  
tationem representavit. Posthac  
soli adsuescere, in iisq; delitescere  
xisset, ad totius Europae emporium  
Amstelredamum se contulit; unde  
tavorum bonarum artium sedem  
ubi per aetivum semestre vixit, ut  
Botanico celeberrimo Dn. JOAN  
Practico Eminentissimo DN. JO  
NIO Medicinae in eadem Acad. P

A 3



Parrens  
, ob in  
it, & ad  
i telam  
Philoso  
tor adsi  
tem viri  
FABRI  
berrimi,  
m Medi  
efragan  
destinâ  
ulgente.  
ennium  
rientissi  
KMEI  
ll. & Ex  
of. Phys  
& dispu  
i solo &  
haut du  
rimum  
um Ba  
errexat  
toribus,  
SIO, &  
EUR  
us, Mox  
per